



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio Prima. De Objecto formali fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

TRACTATUS SEPTIMUS. DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PARS PRIMA, DE FIDE.

DISPUTATIO PRIMA.

De objecto formali Fidei.



OMEN fidei variè accipitur. 1. Pro conscientia, seu prudenti persuasione de bonitate, vel malitia operationis. 2. Pro fidelitate in promissis servandis. 3. Pro veracitate. 4. Pro fiducia. 5. Pro una ex gratis gratis datis, seu pro dono intrepidè fidem predicandi. 6. Pro actu, quo credimus homini aliquid nobis attestanti, & est fides humana. 7. Pro actu salutari, quo credimus vera esse ea, quæ à Deo revelata sunt, & est fides divina. 8. Pro habitu infuso, quo intrinsicè & permanentè instrumur ad exercendos ejusmodi actus. 9. Denique, pro doctrina à Deo revelata, & fide divina credenda. Fides autem ad præsentem Tractatum non pertinet, nisi sub tribus postremis acceptionibus.

Fidei Divinæ duplex est objectum, materiale & formale. Materiale sunt omnia à Deo revelata: formale verò id, quod cognitum, & quæ cognitum movet nos ad assentiendum rebus à Deo revelatis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Revelatio divina sit in objecto formali fidei Divinæ.

Nota 1. Revelatio in genere est manifestatio rei occultæ. Sumi potest dupliciter, latè, & strictè. Latè sumpta, est productio signi naturalis, quo naturaliter ducimur in cognitionem rei alterius. Sic Deus producendo creaturas, revelat latè & improprie existentiam suam, & alias perfectiones suas: nam per creaturarum productionem naturaliter ducimur in cognitionem existentie divinæ, aliarumque perfectionum divinarum. Revelatio strictè sumpta, est productio signi ex instituto significantis, quo revelans aliis significare vult id quod habet in mente.

Nota 2. Quæstio hæc est de sola revelatione strictè sumpta, quæ plura importat, scilicet actum intellectus, quo revelans cognoscit objectum; actum voluntatis, quo objectum & suam illius cognitionem vult signo aliquo manifestare; & manifestationem per signum externum factam. Unde revelatio strictè sumpta dividitur, velut totum in partes, in revelationem internam, & externam. Revelatio interna sunt actus interni; revelatio externa est actuum internorum manifestatio. Neutra sine altera ad fidem sufficit: nam actus interni non possunt movere, nisi manifestentur per signum aliquod externum; neque signum externum movere potest ad judicandam objecti veritatem, nisi fiat, & cognoscatur fieri à revelante ex intentione manifestandi ve-

ritatem objecti, & cognitionem, quam revelans habet de illa veritate.

Nota 3. Deus igitur proprie & strictè revelat, quando signum aliquod externum, ex instituto ipsius vel hominum significans, producit ex intentione manifestandi veritatem alicujus objecti, & cognitionem, quam habet de illa veritate. Unde Deus proprie & strictè loquitur, non solum cum vel per se, vel per Angelum aut hominem vocibus humanis, aut signis aliis externis ex instituto hominum significantibus utitur, ad manifestandam veritatem aliquam; sed etiam cum per se cognitionem alicujus mysterii cum iis characteribus imprimat menti propheta, ut propheta intelligat hanc sibi cognitionem à Deo impressam esse ad manifestationem mysterii, & cognitionis, quam Deus habet de illo.

RESPONSIO I.

Revelatio divina est in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Ex Scriptura. Nam 1. Joan. cap. 5. dicitur: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: Hoc est, si testimonio hominum movemur, ad credenda ea, quæ nobis testificantur; quanto magis moveri debemus testimonio divino, ad credenda ea, quæ nobis à Deo revelata sunt! Ergo ex Scriptura, testimonium divinum, seu revelatio divina est nobis ratio & motivum assentiendi per fidem rebus à Deo revelatis. Unde sic argumentor breviter. Illud est in objecto formali fidei divinæ, quod nobis est ratio & motivum assentiendi per fidem salutarem rebus à Deo revelatis. Sed ex Scriptura talis est revelatio divina. Ergo, &c.*

Ratio à priori est, quia fides divina est actus quo credimus Deo, ut patet ex Apostolo, Rom. cap. 4. ubi laudans fidem Abraham, sic ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Atqui credere Deo, nihil aliud est, quam assentiri alicui veritati propter testimonium seu revelationem Dei, veritatem illam manifestantis & testificantis. Ergo fides divina est actus, quo assentimur veritatibus à Deo revelatis propter ejus revelationem. Ergo fides divina habet pro motivo & ratione assentiendi rebus à Deo revelatis ipsam revelationem divinam, quod est habere revelationem divinam pro objecto formali.

Obj. 1. Fide divina credimus revelationem divinam. Sed non credimus propter aliam revelationem: alioqui daretur processus in infinitum, Ergo, &c. **Resp.** Nos fide divina credere revelationes divinas, & quandoque credere propter alias, quandoque non, sed tantum propter se ipsas: nam revelatio circa quam actum fidei divinæ exercemus, vel est expressè revelata per aliam revelationem posteriorem, vel non. Si primum, credimus illam vel propter se ipsam, ut mox explicabitur, vel propter aliam posteriorem, qua expressè revelata est: cum enim hæc posterior possit nobis esse magis & prius nota, quam illa prior, cujus est expressa revelatio, potest nobis esse ratio & motivum illi assentiendi.

Si secundum, credimus illam propter se ipsam, ut in se virtualiter reflexam, seu prout est virtualis & implicita sui ipsius revelatio; qualis est revelatio omnis: nam quando Deus mysterium aliquod revelat, simul & indivisibiliter, virtualiter & implicitè revelat se revelare; & cum revelatione externa utitur,

tur, utitur ea ex intentione non solum revelandi mysterium, sed etiam testandi se illud revelare. Unde obligat nos ad credendum fide divina, & mysterium, quod revelat, & revelationem, qua revelat. Quare tam peccatimus contra praeceptum fidei divinae, negando mysterium esse revelatum, quam simpliciter negando mysterium.

Hinc etiam de fide est v. grat. non solum, quod Verbum incarnatum sit, sed etiam quod hoc sit à Deo revelatum; & tam haeticus esset, qui negaret revelationem Incarnationis, quam qui negaret ipsam Incarnationem; etiam supponendo quod revelatio Incarnationis non sit expressè revelata per aliam ulteriorem revelationem; quia scilicet Deus revelando Incarnationem, hoc ipso virtualiter revelavit se revelare: Non est ergo metuendus hic processus in infinitum: nam cum fide divina creditur aliqua revelatio, vel propter se ipsam creditur, vel creditur propter aliam, quae creditur propter se ipsam.

Obj. 2. Fide divina credimus Deum existere. Sed hoc non credimus propter revelationem divinam. Neg. min. Nam credimus Deum existere, quia ipse dicit se existere: *Prob. tamen min. negatam.* Si credimus Deum existere, quia ipse dicit se existere, credimus Deum existere, quia est: nam Deum dicere, involvit Deum esse. Falsum conf. Ergo, &c. *Resp. dist. seq. maj.* Credimus Deum existere, quia est simpliciter, N. seq. Quia est cum addito, hoc est, quia est dicens, C. seq.

At inquit. Si ita est, 1. idem per idem cognoscimus. 2. Uno & eodem actu bis cognoscimus idem. 3. Uno & eodem actu prius cognoscimus Deum esse, quam cognoscimus Deum esse. 4. Saltem prius natura cognoscimus Deum dicere, quam Deum esse: quod repugnat, quia prius est Deum esse, quam dicere; & consequenter necesse est Deum prius cognosci ut existentem, quam ut dicentem.

Resp. ad 1. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, cognoscere idem per idem, sed non omnino: cognoscit enim Deum esse, quia cognoscit illum esse dicentem. Deum autem esse, & Deum esse dicentem non sunt idem omnino: nam Deum esse dicentem, plus dicit quam praecise Deum esse. Unde actus, quo credo Deum esse, quia ipse dicit se esse, non magis repugnat, quam actus, quo judico Petrum esse animal, quia est homo, & quo tamen cognosco idem per idem, sed non omnino: nam esse animal, & esse hominem in Petro, sunt idem, sed non omnino, quia esse hominem, dicit aliquid supra esse animal.

Resp. ad 2. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, uno & eodem actu bis credere idem, sed diverso modo: nam semel credit explicitè in objecto materiali, & semel implicitè in objecto formali. Sicut qui judicat Petrum esse animal, quia est homo, uno & eodem actu bis judicat idem, nempe Petrum esse animal, semel explicitè, & semel implicitè: nam judicando esse hominem, implicitè judicat esse animal.

Resp. ad 3. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, eodem actu prius implicitè cognoscere Deum esse, credendo illum dicere, quam explicitè cognoscat Deum esse: sicut qui judicat Petrum esse animal, quia est homo, prius implicitè cognoscit Petrum esse animal, judicando illum esse hominem, quam explicitè cognoscat esse animal.

R. ad 4. Nullam esse repugnantiam in eo quod prius natura cognoscimus, Deum dicere, quam explicitè cognoscimus esse; quia cognitio nostra non semper sequitur ordinem naturae, nec semper prius natura cognoscimus id, quod est prius natura. Sed è contra sapissime prius natura cognoscimus id quod natura posterius est; quia sapissime id, quod prius est, cognoscimus per id quod posterius est, ut patet ex demonstratione causae per effectum. Sapissime autem id, quod prius est, cognoscimus per id quod posterius est, quia hoc sapissime notius nobis est, quam illud.

Simonet Theol. Tom. II.

Obj. 3. Revelatio divina est extrinseca rei revelatae. Ergo non potest movere ad credendam rem revelatam. R. neg. conf. Nam ut revelatio divina movere possit ad credendam rem revelatam, & sic possit esse in objecto formali fidei divinae, iatis est, quod habeat necessariam connexionem cum veritate rei revelatae: quemadmodum ut effectus movere possit ad judicandam existentiam causae, & ita possit esse medium demonstrationis, sufficit, quod existat, & sit necessariò connexus cum existentia causa.

Obj. 4. Actus, quo quis credit aliquam revelationem divinam propter motiva credibilitatis, est fides divina. Atqui talis actus non habet pro motivo revelationem divinam, sed ipsa motiva credibilitatis. Ergo, &c. *Resp.* Revelationem divinam posse credi propter motiva credibilitatis duplici modo. 1. Enim credi potest propter motiva credibilitatis, tanquam motivum intrinsecum ipsius actus, quo creditur. 2. Credi potest propter motiva credibilitatis, tanquam motivum extrinsecum actus, quo creditur, hoc est, tanquam motivum intrinsecum alterius actus, qui necessariò praesupponitur actui, quo revelatio creditur propter se ipsam. Actus autem; quo revelatio divina creditur secundo modo, est fides divina, cuius objectum formale est ipsa revelatio, prout est sui ipsius virtualis & implicita revelatio; quique in perfectione longè superat alium actum, quo revelatio divina primo modo creditur: actus enim, quo revelatio divina creditur immediatè propter se ipsam, praesupposito sufficienti iudicio de ejus credibilitate, habet certitudinem summam, qualem non haberet actus, quo revelatio divina crederetur immediatè propter motiva credibilitatis.

RESPONSIO II.

Revelatio divina adaequatè sumpta, hoc est, non solum revelatio interna, sed etiam externa, est in objecto formali fidei divinae.

Prob. Nam illud totum est in objecto formali fidei divinae, quod nobis est motivum & ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Atqui non solum revelatio interna, sed etiam externa nobis est ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis: nam, ut supra ex Scriptura ostensum est, fide divina credimus res à Deo revelatas propter testimonium Dei, quod est complexum ex revelatione interna & externa, quodque tam necessariò, licet non eodem modo, cum veritate rei revelatae connexus est ratione externae revelationis, quam internae; proindeque tam aptum est, ad assentiendum fide divina rebus à Deo revelatis, movere per externam, quam per internam revelationem. Ergo, &c. Hinc si possibilis est assensus habens pro motivo solam revelationem internam, revelatione externa se habente tantum ut conditione revelationem internam applicante, non est assensus fidei divinae ad sensum Scripturae & Patrum in Ecclesia receptum.

Obj. Revelatio externa est aliquid creatum. Sed fides divina non potest habere pro motivo aliquid creatum: nam est actus virtutis theologicae. Ergo, &c. R. dist. min. Fides divina non potest habere aliquid creatum pro motivo totali aut principali, C. min. Pro motivo partiali, & minus principali, Subdist. Non potest habere pro motivo partiali, & minus principali, aliquid creatum, quod non sit opus divinum, C. iterum min. Quod sit opus divinum, Dei proprium, & dignum assensu super omnia certo, qualis est externa revelatio, N. min.

Ad prob. R. Fidem divinam esse virtutem theologiam, quia habet Deum pro objecto materiali primario, & pro formali principali revelationem internam, quae est aliquid increatum: ita ut revelatio externa non sit in objecto formali fidei divinae, nisi ut pars minus principalis, & veluti materialis, quatenus non movet ad assensum fidei divinae, nisi ut annexa internae revelationi, & ab ea extrinsecè informata.

K A R.

ARTICULUS II.

Utrum veritas divina sit in objecto formali fidei divinae.

Nota 1. Veritas est id, propter quod revelans fide dignus est, hoc est, propter quod dignus est, ut ei revelanti, & testificanti aliquid, credatur; & consequenter veritas est id, quod constituit revelantis auctoritatem. Ut autem revelans sit fide dignus, & habeat auctoritatem in testificando, necesse est ut habeat duo vel in re, vel saltem in prudenti existimatione credentis. Primum est, ut non fallatur, hoc est, ut id quod revelat, concipiat sicuti est. Secundum est, ut non fallat, hoc est, ut non loquatur contra mentem. Primum pertinet ad sapientiam & rectitudinem intellectus, secundum ad bonitatem & rectitudinem voluntatis.

Veritas igitur includit duas perfectiones, unam ex parte intellectus, nempe sapientiam, cujus est concipere res sicuti sunt, alteram ex parte voluntatis, nempe bonitatem, cujus est velle sincerè loqui. Hinc qui habet sapientiam, sed caret bonitate, ut diabolus; vel habet bonitatem, sed caret sapientia, ut homo idiota, non est verax. Hinc quò quis majorem habet sapientiam simul & bonitatem, eo magis est verax. Hinc quia Deus habet infinitam sapientiam cum infinita bonitate, est infinite verax.

Nota 2. Sicut Deus rectè dicitur primum ens, quia est ens summum, perfectissimum, & infinitum in genere entis; ita rectè dicitur veritas, seu veritas prima, quia est veritas summa, perfectissima, & infinita in genere veritatis; cum sit summè, perfectissimè & infinite sapiens ac bonus: ita ut omnino sit impossibile eum falli, aut fallere. Unde Deus habet summam in testificando auctoritatem, & quæ infinito intervallo superat omnem aliam auctoritatem creatam sive hominum, sive Angelorum, qui cum non nisi limitata & defectibilem habeant sapientiam & bonitatem, naturaliter possunt, & secluso speciali Dei privilegio, falli & fallere.

Hinc testimonii divini gravitas summa, & supra quodcumque motivum scientificum, & quodcumque aliud testimonium præstantia & dignitas. Hinc testimonium divinum meretur assensum super omnia firmum, proindeque firmiorem quolibet assensu naturali, quantumlibet evidenti & scientifico. Hinc denique testimonium divinum aptum est movere in consensu cujusvis alterius motivi, quantumvis apparenter evidenti, & contra veritatem rei revelatæ stantis; imò & in concursu cujusvis alterius motivi, stantis pro veritate rei revelatæ, quantumcumque certitudinem & evidentiam veram, etiam experimentalem, habeat.

RESPONSIO.

Veritas divina est in objecto formali fidei divinae.

Prob. Nam illud est in objecto formali fidei divinae, quod est nobis ratio & motivum fidei divinae assentiendi rebus à Deo revelatis, propter divinam revelationem; seu, quod idem est, quod nobis est ratio & motivum credendi Deo aliquid revelanti & testificanti. Atqui veritas divina nobis est ratio & motivum credendi Deo aliquid revelanti & testificanti: nam credimus Deo aliquid testificanti, quia credimus eum nec falli, nec fallere. Ergo, &c.

Obj. 1. Veritas divina non est in objecto formali actus, quo v. g. creditur Incarnatio, quia Deus illam revelavit. Ergo, &c. **Nego ant. Probabis.** Ut veritas divina sit in objecto formali actus, quo creditur Incarnatio propter revelationem divinam, debet eodem illo actu credi, sicut & debet credi revelatio. Atqui veritas divina non creditur actu, quo creditur Incarnatio propter revelationem divinam. Ergo, &c.

Resp. Neg. min. Itaque actu illo, quo credo Incarnationem, quia Deus eam revelavit, tria credo, incarnationem; revelationem, & veritatem divi-

nam; incarnationem quidem propter revelationem & veritatem divinam; revelationem verò & veritatem divinam propter ipsam revelationem, quæ non solum explicita incarnationis, sed etiam virtualis & implicita sui ipsius & veritatis divinae revelatio est. Deus enim explicitè revelando incarnationem, simul virtualiter & implicitè revelat se revelare, & veracem esse, & ita veracem, ut nec falli possit, nec fallere. Unde possum uno & eodem actu credere incarnationem, revelationem incarnationis & veritatem divinam, credendo uno & eodem actu incarnationem propter revelationem incarnationis, & veritatem divinam, natura prius creditas propter ipsam incarnationis revelationem, ut est sui ipsius & veritatis divinae implicita revelatio.

Obj. 2. Veritas non est in objecto formali actus fidei, quo creditur Deum esse veracem, quia expressè revelavit se veracem esse. Ergo, &c. **Nego ant. Probabis.** Si veritas divina esset in objecto formali huius actus, veritas eodem actu bis crederetur. Item prius crederetur, quam crederetur eodem actu. Item in eodem actu esset objectum materiale & formale. Sed hæc omnia repugnant. Ergo, &c.

Resp. Nego min. Itaque eodem actu, quo credo Deum esse veracem, quia hoc ipse revelavit, bis credo veritatem divinam, semel implicitè & semel explicitè. Prius credo veritatem divinam implicitè, indirectè, & ut quo, quam eandem credam explicitè, directè & ut quod; sive, quod idem est, prius credo veritatem divinam, ut virtualiter & implicitè revelatam in ipsa revelatione, quam credam eandem veritatem, ut revelatam formaliter & in se ipsa. Unde in actu, quo credo Deum esse veracem, quia hoc ipse revelavit, veritas est simul objectum materiale, & formale inaequatum sui ipsius, diverso tamen modo sumpta: nam ut implicitè revelata, & motivis credibilitatis immediatè affecta, est una cum revelatione objectum formale sui ipsius, ut formaliter & explicitè revelata, & motivis credibilitatis remotè affecta. Pro quibus omnibus.

Nota. Cum Deus v. g. Rom. cap. 3. revelat se veracem esse, veritas divina bis revelatur, semel formaliter, explicitè, & in se ipsa, & semel virtualiter, implicitè & in ipsa revelatione: nam Deus formaliter & expressè testificando se esse veracem, simul virtualiter & implicitè testificatur se testificari, & in testificando nec falli posse, nec fallere: vel, si vis, simul testificatur virtualiter & implicitè, se ens summè sapiens & bonum hoc testificari.

Dices. Non potest credi Deus esse omnipotens, quia est omnipotens. Ergo nec credi potest esse verax, quia est verax. **Resp. neg. conl.** Ratio negandi est, quia revelatio divina non per omnipotentiam, sed per veritatem divinam necessariò conexa est cum veritate revelata. Unde veritas divina, non omnipotentia, nobis est ratio & motivum assentiendi veritati revelatæ propter revelationem divinam.

ARTICULUS III.

Utrum deitas sit in objecto formali fidei divinae.

RESPONSIO.

Deitas non est in objecto formali fidei divinae.

Prob. Nam illud non est in objecto formali fidei divinae, quo præciso, aut etiam sive per possibile, sive per impossibile sublato, adhuc haberetur motivum planè sufficiens & proportionatum ad assentiendum per fidem divinam rebus revelatis. Atqui posito præcisè & intellectu testimonio divino cum prima veritate, & præcisè, aut etiam per impossibile, sublata deitate cum aliis perfectionibus divinis, habetur motivum planè sufficiens & proportionatum ad assentiendum per fidem divinam rebus revelatis: nam hoc ipso quòd Deus est prima veritas; etiam si per impossibile non esset ens à se, omnipotens, &c. testimonium

Utrum motiva credibilitatis sint in objecto formali fidei divinae.

NOta. Motiva credibilitatis sunt argumenta, seu signa, quibus ita saltem suadentur revelatio & veracitas divina, ut propter illa intellectus prudenter judicet credi posse & honestum esse credere fide omnino indubitata & appreciativè summa, quod Deus revelaverit, & summè verax sit.

R E S P O N S I O.

Motiva credibilitatis non sunt in objecto formali fidei divinae.

Prob. Nam illud non est in objecto formali fidei divinae, quod neque immediatè, neque mediatè est ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Atqui motiva credibilitatis neque immediatè, neque mediatè movent ad assentiendum per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Ergo, &c. *Prob. min. 1.* Non movent immediatè: nam id quod movet immediatè ad assentiendum per fidem divinam rebus à Deo revelatis, est prima veritas revelans; & rebus à Deo revelatis assentimur immediatè propter necessariam connexionem, quam habent cum prima veritate revelante. 2. Non movent mediatè: nam si movent, certè quia sunt ratio credendi fide divina revelationem & veracitatem divinam, propter quas eodem actu creditur res à Deo revelata. Atqui hoc dici non potest: nam per actum fidei divinae creditur res à Deo revelata propter revelationem & veracitatem divinam, creditas propter ipsam revelationem, ut virtualiter supra se, & veracitatem reflexam. Ergo, &c.

Præterea, si motiva credibilitatis sunt in fide divina ratio formalis, propter quam creditur revelatio, tota certitudo fidei divinae fundatur in motivis credibilitatis. Atqui hoc falsum est. Nam assensus fidei divinae est super omnia certus, & consequenter certior omni assensu naturali, quantumvis evidenti ac necessariò. At talis non est, si certitudo ejus fundatur in motivis credibilitatis: nam motiva credibilitatis non possunt fundare assensum firmiter omni assensu naturali, quantumvis evidenti & necessariò: non enim possum esse certior de motivis credibilitatis, quam v. g. de existentia Solis. Superest igitur ut assensus fidei divinae resolvatur ultimò in revelationem divinam, in eaque tota certitudo fidei divinae fundetur. Et verò cum revelatio divina, supposito prudenti judicio de ejus credibilitate, sit propter infinitam eminentiam divinæ autoritatis digna assensu appreciativè firmissimo; apta est fundare totam certitudinem in actu fidei divinae requisitam, & ita supposito prudenti judicio de credibilitate revelationis divinae, potest voluntas auxilio gratiæ adjuta, efficaciter applicare intellectum elevatum, ad assentiendum objecto revelato propter revelationem & veracitatem divinam, & revelationi ac veracitati propter ipsam revelationem assensu super omnia firmo.

Obj. 1. Omnis assensus mediatus ultimò resolvitur in aliquam veritatem per se notam. Atqui assensus fidei divinae est assensus mediatus. Ergo resolvitur ultimò in aliquam veritatem per se notam, & consequenter resolvitur ultimò in evidentem credibilitatem revelationis. *Resp. neg. maj.* Itaque omnis assensus mediatus resolvitur ultimò in aliquam veritatem, vel per se notam, & evidentem ex terminis, vel per se obscuram, sed cui immediatè assentimur propter se ipsam. Sic actus fidei, quo credo Deum esse trinum, resolvitur ultimò in hanc propositionem per se obscuram, Prima veritas revelavit Deum esse trinum, creditam propter se, ut virtualiter supra se reflexam, ibi sistendo. Nam supposita evidenti credibilitate alicujus veritatis per se obscuræ, potest voluntas determinare intellectum ad assentiendum certò veritati illi immediatè & præcisè propter se, si nimirum utraque potentia speciali Dei auxilio adjuvetur, ut in fide accidit.

nium ejus dignum est assensu super omnia firmo, quia hoc ipso testimonium ejus summam cum veritate rei testificatæ connexionem habet. Ergo, &c.

Obj. 1. Illud est in objecto formali fidei divinae, in quod fides divina ultimò resolvitur. Atqui fides divina ultimò resolvitur in deitatem, ut sic. Ergo, &c. *Resp. dist. maj.* Illud est in objecto formali fidei divinae, in quod fides divina resolvitur ultimò, tanquam in rationem ultimam formalem assentiendi, C. maj. In quod fides divina resolvitur ultimò, tanquam in rationem seu causam virtualem essendi primæ veritatis, N. maj. Fides autem divina resolvitur ultimò in deitatem, tanquam in rationem seu causam virtualem essendi primæ veritatis: nam prima veritas virtualiter oritur ex deitate. Unde quærenti à me, quare credo Deum esse trinum, respondeo, quia prima veritas revelavit. Et ulterius quærenti, quare Deus est prima veritas, respondeo, quia est ens à se. At fides divina non resolvitur ultimò in deitatem, tanquam in rationem formalem assentiendi propter primam veritatem; nam prima veritas revelans per se ipsam necessariò connexa est cum veritate rei revelatæ, & consequenter per se ipsam præcisè mover ad assensum rei revelatæ, & æquè & eodem modo mover, ac si per impossibile non flucret virtualiter ex deitate, hoc est, ac si non conveniret Deo ratione ascitatis, sed ratione alterius, putà immutabilis decreti nunquam mentienda. Hinc

Quærenti à me, quare credo Deum esse trinum, respondeo me credere propter testimonium Dei. Quærenti, quare credo Deum esse trinum propter testimonium Dei, respondeo me credere, quia Deus est prima veritas. Ulterius verò quærenti, quare credo testimonio Dei, quia Deus est prima veritas, nihil respondere possum, quod sit mihi motivum intrinsecum credendi testimonio Dei propter primam veritatem. Unde fides, quæ credo Deum esse trinum, resolvitur in revelationem divinam, & primam veritatem, tanquam in rationem formalem totalem assentiendi; proindeque revelatio divina cum prima veritate, seu, quod idem est, prima veritas revelans est objectum formale totale fidei, quæ credo Deum esse trinum.

Obj. 2. Idem est objectum fidei & visionis beatificæ. At objectum visionis beatificæ est Deus, quæ Deus. Ergo, &c. *Resp.* Fidei divinae & visionis beatificæ idem esse materiale objectum principale, nempe Deum, quæ Deum. At non est utriusque idem objectum formale; sicut non est idem utriusque modus tendendi in objectum: nam fides divina est assensus mediatus, in Deum obscurè propositum tendens propter testimonium divinum; visio verò beatificæ est actus intuitivus, tendens immediatè in Deum, ut in se est, clarè propositum. Unde propriè loquendo, visio beatificæ non habet objectum formale; quia, cum sit clara & immediata intuitio Dei, fertur in illum, nullo alio mediante per modum objecti præcogniti, & quæ talis ad Dei visionem determinantis.

Porrò quod de fide divina & visione beatificæ dictum est, dici debet cum proportionem de fide divina, & theologica: nam Deus, quæ Deus, est materiale objectum principale utriusque: at non est idem utriusque objectum formale: assensus enim fidei divinae tendit in articulum revelatum propter immediatam connexionem, quam habet cum revelatione divina: assensus verò theologicus fertur in conclusionem propter connexionem, quam habet cum duabus præmissis secundum regulas Logicæ artificiosè dispositis, & quarum una revelata est, & altera naturaliter evidens; aut ambæ sunt revelatæ.

Dices. Non potest voluntas efficaciter imperare intellectui, ut immediatè assentiatur huic objecto, Astra sunt paria, etiam assensu opinativo tantum; quia non magis apparet esse paria, quam imparia. Ergo multò minùs potest efficaciter imperare intellectui, ut immediatè assentiatur certò huic propositioni. Prima veritas revelavit Deum esse trinum: cum de se non magis appareat vera, quam falsa. *Resp.* nego conseq. Disparitas est, quia nulla sunt motiva probabilitatis, quibus intellectus disponatur ad assentiendum opinativè ex imperio voluntatis huic objecto, Astra sunt paria. At dantur motiva credibilitatis, quibus intellectus disponi potest ad assentiendum etiam immediatè ex imperio voluntatis huic propositioni, Prima veritas revelavit Deum esse trinum, & quidem assensu super omnia firmo, propter dignitatem auctoritatis divinæ.

Obj. 2. Revelatio divina non potest esse ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi sit notior veritate revelata. Atqui non est notior veritate revelata, nisi ut circumvestita motivis credibilitatis, & credita propter illa. Ergo non est ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi ut credita propter motiva credibilitatis, quæ proinde sunt in objecto formali fidei divinæ, tanquam ratio assentiendi revelationi divinæ.

Resp. 1. neg. maj. Nam ut revelatio divina sit in fide divina ratio assentiendi veritati revelatæ, satis est, quòd sit immediatius & per se credita: intellectus enim in fide divina non attendit ad evidentiam, sed ad solam infallibilitatem motivi, quæ summa est, neque fide divina assentitur rei revelatæ propter aliquam evidentiam revelationis, sed propter necessariam connexionem, quam habet revelatio cum veritate revelata; quamvis secundum se non sit minùs obscura.

Resp. 2. dist. maj. Revelatio divina non potest esse ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi sit ipsa veritate revelata notior per actum fidei divinæ, quo res revelata propter revelationem creditur, N. maj. Nisi sit ipsa veritate revelata notior per iudicium prævium de credibilitate, quo intellectus disponitur ad credendam veritatem revelatam propter revelationem creditam propter se, C. maj. Sic autem revelatio credita fide divina, & propter quam creditur veritas revelata, notior est, quam ipsa res revelata: nam directius, & immediatius afficitur à motivis credibilitatis: motiva enim credibilitatis per se primò tendunt ad suadendam existentiam veritatis & revelationis divinæ, & obligationem utramque ita credendi, ut propter illas objectum revelatum credatur cum firmitate appetitivè summa.

Dices. Omnis actus intellectus terminatur intrinsicè ad aliquam evidentiam. Ergo, &c. *Resp.* ant. verum esse de omni actu naturali, evidenti, & necessario, ad quem intellectus ab objecto determinatur; falsum verò de actu supernaturali & obscuro, ad quem intellectus determinatur à pia motione voluntatis: talis enim actus non terminatur, nisi extrinsecè, ad evidentiam, quæ est objectum actus prævii, quo intellectus, antequam credat, evidenter & necessario iudicat credibilitatem veritatis & revelationis divinæ, & honestatem ac obligationem credendi propter illas veritatem revelatam: iudicando autem, sufficienter disponitur ad obsequendum imperio voluntatis, atque cum auxilio gratiæ adhaerendum primæ veritati revelanti propter se ipsam, quantumvis per se obscuram, & propter ipsam objecto revelato.

Obj. 3. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina resolvitur ultimò. Atqui fides divina resolvitur ultimò in motiva credibilitatis: nam querenti, quare credo Deum esse trinum, respondeo, quia credo Deum esse summè veracem, & hoc revelasse; ulterius verò querenti, quare credo Deum esse summè veracem, & revelasse, respondeo, quia utrumque mihi evidenter apparet credibile per motiva credibilitatis. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina ultimò resolvitur intrinsicè,

C. maj. Extrinsecè tantum, N. maj. Fides autem divina non resolvitur nisi extrinsecè in motiva credibilitatis; & cum querenti, quare credo Deum esse veracem, & revelasse mysterium trinitatis, respondeo me credere, quia utrumque apparet mihi credibile per motiva credibilitatis, non affero rationem formalem, propter quam assentior in actu fidei veritati & revelationi; hæc enim ratio est revelatio ipsa, ut reflexa supra se ipsam, & veracitatem virtualiter; sed affero conditionem sufficienter applicantem intellectui existentiam veritatis & revelationis divinæ ad hoc, ut ex pia motione voluntatis intellectus per fidem divinam assensu super omnia firmo credat mysterium Trinitatis, propter veracitatem & revelationem divinam; veracitatem verò & revelationem propter ipsam revelationem, ut est virtualis & implicita sui ipsius & veritatis revelatio, ibi sistendo.

Ex dictis hæcenus clarum est objectum formale fidei divinæ adequatè consistere in revelatione & veritate divina, quod complexum à Scholasticis modò prima veritas revelans, modò revelatio primæ veritatis nominatur. Unde fides divina est actus, quo assensu super omnia certo ex pia & libera motione voluntatis assentimur alicui objecto revelato propter primam veritatem revelantem, propter revelationem primæ veritatis, propter revelationem & veracitatem divinam creditas propter ipsam revelationem præcisè. Qui actus supponit plures alios, nempe perceptionem motivorum credibilitatis, motivorum illorum maturam considerationem, prudens & firmum iudicium de honestate & obligatione credendi, cuius iudicii objectum formale sunt motiva credibilitatis existentiam revelationis credibiliter saltem suadentia, & piam credulitatem, seu piam & liberam motionem voluntatis efficaciter applicantis intellectum ad credendum super omnia veritatem revelatam propter revelationem & veracitatem divinam, & revelationem ac veracitatem divinam propter ipsam revelationem.

ARTICULUS V.

Utrum revelatio & veritas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debeant esse obscura.

RESPONSIO I.

UT revelatio & veritas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur & sufficit, ut obscure tantum ostendant rem revelatam.

Prob. 1. pars. Nempè quòd requiratur, &c. Si prima veritas revelans, non obscure, sed evidenter ostenderet veritatem revelatam, moveret ad actum evidentem & necessarium, quo intellectus evidenter & necessario assentiretur veritati revelatæ. Atqui talis actus non esset fides divina. Ergo si prima veritas revelans, non obscure, sed evidenter ostenderet veritatem revelatam, non moveret ad actum fidei divinæ, sed ad alium actum à fide divina distinctum, & specificè diversum, & consequenter non esset objectum formale fidei divinæ, sed alterius actus, ab ea distincti, & specificè diversi. Major non habet difficultatem: nam intellectus evidenter & necessario assentitur omni veritati evidenti, sive per se, sive per aliud, quocumque connexa est, sit evidens.

Prob. min. Nam actus fidei divinæ est inevidens, non solum permixtivè, sed etiam positivè & exigitivè, hoc est, non solum non postulat ex suis intrinsicis esse evidens, sed è contra essentialiter exigit esse obscurus, & non cognoscere evidenter rem revelatam; ut ostenditur, 1. ex Scriptura. Apostolus enim fidem divinam describens, dicit illam esse *argumentum non apparentium*, hoc est, actum, quo veritates revelatæ certò quidem, sed obscure cognoscuntur. Unde 1. Cor. c. 13. ait, ea quæ per fidem divinam creduntur, per illam non videri, nisi in enigmate: *Videmus, inquit, nunc per speculum & in enigmate: tunc autem facie ad faciem.*

2. Ex

2. Ex Patribus. Nam v. gr. S. Augustinus tract. 40. in Joan. sic habet: *Quid est fides, nisi credere quod non vides?*

3. Ex communi Theologorum & Philosophorum consensu: nam unanimiter constituunt fidem divinam in medio quodam gradu inter scientiam, quæ est clara rei cognitio; & opinionem, quæ est assensus formidolosus; docentque fidem divinam superari ab actu scientiæ per evidentiam, & superare per certitudinem actum opinionis.

Quod si actus fidei divinæ est essentialiter inevidens, est essentialiter liber, & subiectus libero voluntatis imperio: intellectus enim ad assensum obsecutum, præsertim certum, & super omnia certum, qualis est fides divina, non potest determinari nisi à voluntate præventa, excitata & adjuva per interiorum gratiam. Hinc illud S. Augustini tract. 26. in Joan. *Multa potest facere homo non volens, credere non potest nisi volens.* Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nempe quod sufficiat, &c. Nam quoties intellectus assentiatur veritati revelatæ propter veracitatem & revelationem obscure tantum illam ostendentem, & quidem assensu illarum infallibilitati proportionato, toties elicitur actum fidei divinæ: actus enim, quem elicitur, habebit omnia ad fidem divinam requisita. Nam 1. erit actus obscurus: actus enim ille obscurus est, qui nititur objecto formali, obscure tantum ostendenti objectum materiale; sicut actus ille evidens est, qui nititur objecto formali, à quo objectum materiale evidenter ostenditur.

2. Erit actus positivè liber: nam elicitur ex positivo imperio voluntatis determinantis intellectum ad assentiendum. Et verò non assentiatur intellectus objecto materiali, nisi determinetur vel ab objecto formali, vel à voluntate ipsum positivè applicante ad assentiendum. At hic non determinabitur ab objecto formali, quia non potest determinari ab objecto formali, obscure tantum ostendente veritatem objecti materialis. Ergo determinabitur à voluntate ipsum positivè applicante ad assentiendum.

3. Erit actus super omnia firmus: habebit enim, ut supponitur, firmitatem proportionatam infallibilitati primæ veritatis revelantis. 4. Habebit pro motivo intrinseco & adequato testimonium divinum, sive primam veritatem revelantem. 5. Erit actus pius & honestus: nam elicitur ab homine ex affectu sincero & appetitativè summo se submittendi authoritatæ divinæ: non enim potest homo adherere super omnia objecto revelato, præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, obscure tantum veritatem ejus ostendenti, nisi ex affectu se submittendi authoritatæ divinæ sincero & appetitativè summo. 6. Erit actus meritorius & supernaturalis: actus enim ille meritorius & supernaturalis est, quo ab homine exhibetur liberè Deo supremus cultus intellectualis.

RESPONSIO II.

Veracitas & revelatio simpliciter evidentes secundum se & immediatè, non possunt esse objectum formale fidei divinæ.

Prob. Ex Resp. 1. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, debent obscure tantum ostendere veritatem rei revelatæ. Atqui si essent ambæ simpliciter evidentes immediatè & secundum se, non obscure, sed evidenter ostenderent veritatem rei revelatæ. Ergo tunc nec essent, nec possent esse objectum formale fidei divinæ. Et verò tunc nunquam movere possent intellectum, mediante libera voluntatis applicatione, ad assensum obscurum, qualis est essentialiter assensus fidei divinæ; sed per immediatam suam evidentiam semper intellectum raperent, & determinarent ad assensum evidentem ac necessarium, proindeque à fide divina specificè diversum. Ad hoc itaque ut revelatio & veracitas divina possint esse objectum formale fidei divinæ, requiritur ut neutra sit, vel saltem ut alterutra non sit evidens simpliciter secundum se & immediatè,

Simonnet Theol. Tom. II.

seu, quod idem est, ut utraque, vel saltem alterutra sit immediatè & secundum se obscura.

Obj. 1. Revelatio & veracitas divina sunt extrinsecæ veritati revelatæ. Ergo non ostenderent evidenter veritatem revelatam, etiamsi essent in se & immediatè evidentes simpliciter. *Probabilis conseq.* Nam nullum medium extrinsecum potest evidenter ostendere veritatem objecti, quantumvis supponatur in se & immediatè evidens, & evidenter cum veritate objecti connexum. *Resp. neg. conseq.* & ejus probationem, quæ si vera esset, neque causa per effectum; neque effectus per causam demonstrari posset: effectus enim causæ suæ extrinsecus, & vicissim causa effectui suo extrinseca est; & ita impossibilis esset omnis demonstratio sive à priori, sive à posteriori; quod est absurdum.

Obj. 2. Fidei divinæ solum repugnat veritatem revelatam cognoscere evidenter in se ipsa. Ergo non illi repugnat eam cognoscere evidenter in alio, nempe in revelatione & veracitate divina immediatè & in se evidentibus. *Resp. neg. ant.* Nam fidei divinæ repugnat esse actum evidentem & necessarium. Esset autem actus evidens & necessarius, si veritatem revelatam evidenter cognosceret; quamvis illam non in se ipsa, sed in alio evidenti, evidenter cum illa connexo, cognosceret; ut patet ex actu, quo causa per effectum, vel effectus per causam demonstrativè cognoscitur.

Obj. 3. De fidei humanæ essentia solum est, ut nitatur autoritate hominis loquentis. Ergo pariter de essentia fidei divinæ solum est, ut nitatur autoritate Dei loquentis. Item fides humana potest esse actus evidens & necessarius. Ergo & fides divina. *Resp. ad 1.* Permissio antecedente nego conseq. Disparitas est, quia per fidem divinam non intelligitur qualiscumque assensus rei revelatæ datus propter autoritatem Dei loquentis; sed assensus, quo fidelis propter autoritatem Dei loquentis adheret veritati revelatæ, ex pio & libero affectu se submittendi authoritatæ divinæ. Unde de essentia fidei divinæ est, ut sit actus obscurus & positivè liber, & consequenter ut nitatur authoritatæ Dei loquentis saltem secundum se & immediatè aliquatenus obscura, hoc est, saltem secundum se & immediatè obscura vel ratione revelationis, vel ratione veracitatis, vel ratione utriusque.

Resp. ad 2. neg. ant. Nam nunquam objectum formale fidei humanæ evidens esse potest secundum se totum: quantumvis enim locutio hominis sit in se & immediatè evidens, semper ejus veracitas obscura est; nam nunquam potest evidens esse hominem loquentem nec falli, nec fallere velle; cum in omni homine sapientia & bonitas sint defectibiles. Unde fides humana est essentialiter assensus obscurus & formidolosus, aut saltem cum formidine composibilis; cum nitatur motivo obscuro & fallibili.

RESPONSIO III.

Revelatio & veracitas inevidentes in se, quamvis simpliciter evidentes sint in motivis credibilitatis evidentia magna morali, possunt esse objectum formale fidei divinæ.

Prob. Nam 1. S. Thomas hic q. 5. art. 2. in O. sic ait: *Si aliquis propheta prænunderet in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, & hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur.* Ex quibus verbis sic argumentor. Si quis videret mortuum suscitari in confirmationem alicujus revelationis divinæ, haberet saltem evidentiam magnam moralem, hanc revelationem esse à Deo summè veraci. At posset adhuc & teneretur credere fide divina: alioquin Judæi videntes Christum mortuos suscitantem, ut probaret se esse Messiam, non deberunt, nec potuerunt credere ipsum esse Messiam: quod est absurdum.

2. Apostoli, qui cum Christo pluribus annis ver-

sati sunt, potuerunt & debuerunt credere fide divina mysterium incarnationis, etiam post Christi in caelos assumptionem; & tamen circa huius mysterii revelationem habuerunt evidentiam simplicem saltem magnam moralem: talem enim evidentiam non potuerunt non habere, qui Christum in omnibus, ut hominem Deum decebat, se gerentem tandiu experti fuerant, qui cum tor & tanta miracula patrantem, morbos innumeros sanantem, calcantem maria, tempestates sedantem, expellentem demones, mortuos suscitantem, redivivum è mortuis, in caelos ascendentem suis oculis viderant; adde quod ipsum sola nominis illius invocatione morbos quoslibet sanabant, suscitabant mortuos, aliaque plurima prodigia operabantur. Hanc evidentiam expressit Joannes Apostolus epistol. 1. cap. 1. his verbis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae contræctaverunt, de verbo vita. Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam aeternam, qua erat apud Patrem & apparuit nobis, &c.*

3. Evidens fuit evidentia magna morali Apostolo Paulo, quod raptus fuerit usque ad tertium caelum; B. Virgini, quod non naturali, sed miraculosa Dei opera conceperit; Lazaro, quod mortuus, & à mortuis revocatus fuerit. Ergo fuerunt illis evidentes evidentia magna morali revelationes divinae, quae prodigiis illis confirmabantur. Atqui nihilominus poterant & debent credere fide divina revelationes illas, & propter revelationes illas, veritates revelatas. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia quoad revelatio & veracitas divina sunt in se inevidentes, nec sunt evidentes, nisi in alio, tandiu secundum se obscure tantum ostendunt veritatem rei revelatae. Ergo tandiu secundum se aprae sunt, mediante imperio voluntatis, movere intellectum ad assensum obscurum veritatis revelatae super omnia firmum. Et verò quidni sub simplici evidentia illa magna morali, quam supponuntur habere revelatio & veracitas divina per motiva credibilitatis, quidni, inquam, possit homo vel Angelus, ex generali, plena & absoluta voluntate se submittere auctoritati divinae, assentiri assensu appetitivamente summo veritati revelatae praecise propter revelationem & veracitatem divinam; ita ut motivum intrinsecum & adequatum assensus sint revelatio & veracitas per se credita, quamvis per se non magis apparentes esse, quam non esse, & ita per se & secundum se omnino obscurae: Ergo, &c.

Dices 1. Exempla ad probationem assertionis allata, non sunt ad rem: nam esto v. gr. quod Apostoli evidenter cognoverint evidentia magna morali revelationem mysterii incarnationis: at non cognoverunt veracitatem divinam nisi obscure, seu non cognoverunt veracitatem divinam evidenter evidentia simplici, sed solum evidentia credibilitatis. Unde miram non est quod credere potuerint fide divina mysterium incarnationis propter revelationem divinam, cujus necessariam connexionem cum veritate mysterii revelati non nisi obscure cognoscebant.

Resp. Apostolos, hoc ipso quod habuerunt evidentiam simplicem magnam moralem revelationis, habuisse etiam veracitatem divinam. Nam hoc ipso, quod illis simpliciter evidens fuit evidentia magna morali Deum esse locutum, simpliciter quoque evidens illis fuit evidentia magna morali, primam veritatem locutam esse: cum ratio primae veritatis reluceat in idea Dei.

Præterea, cum motiva credibilitatis sint opera miraculosa & supernaturalia, per se tendunt ad ostendendam revelationem divinam, ut testificationem entis supremi, & totius naturae dominantis, & consequenter ut testificationem entis, summam in testificando auctoritatem habentis. Unde si habent evidentiam familiarem, cum simplici evidentia manifestant revelationem divinam, ut testificationem entis habentis summam in testificando auctoritatem, pro-

indeque evidenter ostendunt non solum revelationem, sed etiam veracitatem divinam.

Dices 2. Revelatio & veracitas divina simpliciter evidentes per motiva credibilitatis evidentia magna morali, determinarent ad assensum evidentem & necessarium veritatis revelatae. *Resp.* Si determinarent, at saltem non determinarent, nisi ad assensum proportionatum evidentiae motivorum, & consequenter non determinarent, nisi ad assensum inferiorem assensu appetitivamente summo; & ita adhuc relinquere-tur locus assensui obscuro, sed appetitivamente summo, quo intellectus ex imperio voluntatis adherere posset veritati revelatae praecise propter revelationem & veracitatem divinam.

RESPONSIO IV.

A fortiori revelatio & veracitas divina inevidentes in se, & solum evidenter credibiles per motiva credibilitatis, possunt esse objectum formale fidei divinae.

Prob. Simplex enim evidentia major est evidentia credibilitatis: nam evidentia simplex evidenter ostendit existentiam rei: evidentia verò credibilitatis solum ostendit evidenter existentiam rei esse dignam fide firma, seu solum ostendit evidenter non posse nisi imprudenter & temere negari existentiam rei. Ergo si revelatio & veracitas divina inevidentes in se, possunt esse objectum formale fidei divinae, etiam si habeant evidentiam simplicem à motiva credibilitatis, à fortiori possunt, si à motivis illis habeant tantum evidentiam credibilitatis.

ARTICULUS VI.

Utrum revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinae, debeant saltem esse evidenter credibiles.

Nota 1. Credibile dicitur hic, quod est dignum fide firma, sive id, quod non potest nisi imprudenter & temere negari, aut in dubium revocari. Unde evidenter credibile dicitur hic quod evidenter apparet dignum fide firma, sive id quod evidenter apparet, non posse nisi imprudenter & temere negari, vel in dubium revocari. Sensus igitur quaestionis est, utrum ad hoc, ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinae, requiratur ut saltem evidenter appareat per motiva credibilitatis, illas non posse nisi imprudenter negari, vel in dubium revocari.

Nota 2. Objectum formale non movet, nisi cognitum: objectum enim formale dicitur id, quod cognitum, & quod cognitum movet nos ad assentiendum vel dissentiendum. Unde ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati, debet esse saltem prius natura cognitum, quam cognoscatur illa veritas; & ita ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati assensu firmo, debet esse saltem prius natura cognitum actu firmo; proindeque ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati assensu appetitivamente firmissimo, debet esse saltem prius natura cognitum actu appetitivamente firmissimo.

Nota 3. Fides divina est essentialiter actus certus, & consequenter est essentialiter actus prudens: nam certitudo actus duo dicit, nempe prudentiam & firmitatem, & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia. Unde nihil potest credi fide divina, nisi prudenter credi possit, & ita quoties homo credit aliquid fide divina, credit prudenter; & quoties credit imprudenter, toties credit alio actu, quàm fidei divinae. Præterea, cum fides divina sit essentialiter actus prudens & firmus, non quavis firmitate, sed firmitate appetitivamente summa, nam fides divina est actus prudens & firmus firmitate proportionata auctoritati Dei loquentis, quæ summa est; nihil potest credi fide divina, nisi possit prudenter credi

credi firmitate appetitativè summa propter summam auctoritatem Dei loquentis, quæ est motivum intrinsecum & adæquatum fidei divinæ.

R E S P O N S I O.

Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur saltem, & sufficit, quòd sint evidenter credibiles per motiva credibilitatis.

Prob. 1. pars. Nempe quòd requiratur saltem, &c. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, debent credi fide divina. Atqui non possunt credi fide divina, nisi saltem per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c.

Prob. min. Ut revelatio & veracitas divina possint credi fide divina, debent posse credi prudenter cum firmitate appetitativè summa propter se. Atqui non possunt prudenter credi cum firmitate appetitativè summa propter se, nisi saltem per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Revelationem & veracitatem divinam apparere credibiles per motiva credibilitatis nihil aliud est, quam ex motivis credibilitatis clarè intelligi illarum existentiam non posse nisi imprudenter & temerè negari, vel in dubium revocari. Atqui revelatio & veracitas divina non possunt prudenter credi cum firmitate appetitativè summa propter se, nisi prius saltem ex motivis credibilitatis clarè intelligatur illarum existentiam non posse nisi imprudenter & temerè negari vel in dubium revocari. Ergo, &c.

Hinc meritò ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem fiat cum noticia solum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.* Hinc S. Thomas qu. 1. art. 4. ad 2. docet ea quæ subsunt fidei, ab illo qui credit, esse vilia sub communi ratione credibiles. Et hanc rationem subdit: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.*

Prob. 2. pars. Nempe quòd sufficiat, &c. Nam ut revelatio & veracitas divina possint esse objectum formale fidei divinæ, sufficit quòd possint credi fide divina. Atqui hoc ipso possunt credi fide divina, quòd per motiva credibilitatis apparent credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Hoc ipso possunt credi fide divina, quòd possunt prudenter credi cum firmitate appetitativè summa propter se. Atqui ut possint prudenter credi cum firmitate appetitativè summa propter se, sufficit quòd per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam hoc ipso, quòd ex motivis credibilitatis clarè intelligitur non posse prudenter negari, vel in dubium revocari existentiam revelationis & veracitatis divinæ, reverentia Deo loquenti debita postulat, ut homo plene & absolute se subiciat summæ illius auctoritati, credendo cum firmitate appetitativè maxima existentiam revelationis & veracitatis ejus; proindeque tunc potest prudenter homo velle ex pleno & absoluto affectu se subijcendi summæ auctoritati Dei loquentis, credere cum firmitate appetitativè maxima revelationem & veracitatem divinam.

Obj. 1. Evidentia credibilitatis, quam haberent revelatio & veracitas divina per motiva credibilitatis, necessitaret intellectum. Ergo nullum relinqueret locum fidei divinæ. *R. dist. ant.* Necessitaret intellectum ad iudicandum non posse nisi imprudenter & temerè negari, vel in dubium revocari existentiam revelationis & veracitatis divinæ. *C. ant.* Necessitaret intellectum ad credendam cum firmitate appetitativè summa revelationem & veracitatem divinam. *N. ant. & conseq.* Itaque evidens credibilitas revelationis & veracitatis divinæ, quantacumque esse supponatur, imò ut constat ex dictis Articulo superiore, simplex evidentia, etiam magna moralis existentia revelationis & veracitatis divinæ, non impedit actum fidei, sed è contra utraque ad illum præparat & accingit intellectum, qui supposita evidenti credibilitate, vel evidentia simplici existentia revelationis & veracitatis

Simonnet Theol. Tom. II.

divinæ, potest prudenter à voluntate ex pio affectu credendi Deo loquenti, determinari ad credendum eum firmitate appetitativè maxima revelationem & veracitatem divinam propter se, & veritatem revelationem & veracitatem divinam, quod est fide divina credere.

Obj. 2. Si revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debent saltem habere evidentiam credibilitatis, evidentia illa credibilitatis cadit sub actum fidei. Falsum conf. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam evidentia credibilitatis, quam revelatio & veracitas divina debent habere, ut sint objectum formale fidei, cadit solum sub actum evidentem & necessarium, quo intellectus iudicat existentiam revelationis & veracitatis divinæ dignam esse assensu firmo; vel, si vis, quo iudicat non posse prudenter dubitari de existentia revelationis & veracitatis divinæ; quo actu præsupposito, potest intellectus ex imperio voluntatis assensu existentia revelationis & veracitatis divinæ assensu appetitativè certissimo: modò tamen (quod semper subintellectum esse volumus) non desint necessaria, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, gratia auxilia.

Obj. 3. Si revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debent esse saltem evidenter credibiles, rustici v. gr. & pueri non possunt habere fidem divinam. Absurdum conseq. Ergo, &c. *Resp.* A nobis ad assensum fidei divinæ non requiri respectu omnium in revelatione & veracitate divina, evidentiam credibilitatis absolutam & perfectam, hoc est, eam quæ ad excludendam omnem prudentem dubitationem sufficiat respectu omnium, etiam eorum qui docti & ingeniosi sunt, possuntque cum ordinariis gratiæ auxiliis bene ponderare & penetrare motiva, quibus suadentur revelationes divinæ. Alioquin soli docti & ingeniosi possent habere fidem divinam, quod est absurdum.

Solum itaque ad fidem divinam & objectum ejus formale requirimus in revelatione & veracitate divina evidentiam credibilitatis vel absolutam & perfectam, vel saltem imperfectam & relativam, hoc est, evidentiam credibilitatis uniuscujusque captui proportionatam, qualis potest esse respectu rustici ab auctoritate parochi, & respectu pueri ab auctoritate parentis: nam auctoritas parochi respectu rustici, (idem dic de auctoritate parentis respectu pueri) potest esse tanti ponderis, ut pariat illi moralem evidentiam & certitudinem de existentia revelationis & veracitatis divinæ; moralem, inquam, evidentiam & certitudinem, non absolutam & perfectam, sed imperfectam & relativam, captuique rustici proportionatam, sufficientem tamen, respectu rustici, ad assensum fidei divinæ; quia respectu illius sufficit ad iudicium prædicum de credibilitate revelationis & veracitatis divinæ, sive ad actum, quo rusticus evidenter iudicat voluntatem posse hic & nunc prudenter imperare intellectui ut assentiat revelationi & veracitati divinæ, & propter ipsas objecto revelato, assensu appetitativè firmissimo.

Hinc distingui debent duplicis generis motiva credibilitatis. Primi generis sunt motiva credibilitatis absolutæ & perfectæ, quæ absolute & respectu omnium sufficiunt ad fidem: talia sunt opera miraculosa facta à Deo in confirmationem doctrinæ Christianæ. Secundi generis sunt motiva credibilitatis imperfectæ & relativæ, quæ respectu aliquorum tantum ad fidem sufficiunt: talis est auctoritas parentis respectu pueri, auctoritas parochi respectu rustici, &c. Sola tamen motiva primi generis solent intelligi, cum nominantur motiva credibilitatis.

Dices 1. Gratis asseritur evidentia illa credibilitatis imperfectæ & relativæ sufficere respectu rudiorum, ad hoc ut revelatio & veracitas divina movere possint ad assensum fidei divinæ. Ergo vel nulla requiritur ad fidem divinam in revelatione & veracitate divina evidentia credibilitatis; vel si requiritur aliqua, necessaria est etiam respectu omnium evidentia credibilitatis absoluta & perfecta.

K 4

Resp.

Resp. neg. ant. Nam ver. gr. cum parochus inter concionandum è pulpito dicit Deum revelasse mysterium incarnationis, rusticus qui audit, & doctum ac probum existimat parochum, præcisè propter ejus auctoritatem, evidenter judicat evidentiam moralem, imperfectam quidem, sed sibi proportionatam, existentiam revelationis, non nisi imprudenter in dubium revocari posse; sicque præcisè propter auctoritatem parochi habet certitudinem moralem imperfectam quidem, sed sibi proportionatam, de existentia revelationis; qua certitudine præsupposita, sine alia evidentia credibilitatis possunt esse omnia proximè requisita ad assensum fidei divinæ in rustico illo.

At inquires. Cum sola illa evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, non potest esse iudicium practicum ad actum fidei divinæ proximè requisitum. *Resp. n.g.* Nam rusticus cum sola evidentia credibilitatis relativa, habet actum, quo evidenter evidentia sibi proportionata judicat non posse nisi imprudenter dubitari de existentia revelationis, & consequenter habet certitudinem moralem sibi proportionatam de existentia revelationis; quam certitudinem, superveniente nova interioris gratiæ illustratione, naturali quadam necessitate ex ordinatione divinæ sequitur iudicium practicum ad fidem proximè requisitum; actus scilicet, quo rusticus evidenter judicat voluntatem posse prudenter imperare intellectui, ut revelationi & rei revelatæ propter revelationem assentiat assensu appreciativè firmissimo.

Dices 2. Rusticus cum evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, non potest habere summam certitudinem de existentia revelationis, qualis tamen requiritur ad actum fidei divinæ: nam ad fidem divinam requiritur, ut credens assentiat rei revelatæ propter revelationem assensu super omnia firmo; quod facere non potest, nisi habeat summam certitudinem de existentia revelationis. *Resp.* Rusticum cum evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, habere certitudinem summam de existentia revelationis. Pro quo

Nota. Rusticus habens evidentiam credibilitatis imperfectam & relativam de existentia revelationis, & ex instinctu Spiritus Sancti credens rem revelatam propter revelationem evidentiam illa credibilitatis imperfecta & relativa sibi evidentem, habet duplicem certitudinem de existentia revelationis; unam ab actu, quo judicat non posse nisi imprudenter dubitari de existentia revelationis; & alteram, quam habet ab actu, quo ex pia motione voluntatis credit rem revelatam, propter revelationem. Prima est tantum certitudo moralis, & quidem imperfecta, sed captui rustici proportionata. Secunda est certitudo divina & summa, quia rusticus eodem actu, quo assentitur mysterio revelato propter revelationem, assentitur etiam prius saltem ratione existentie ipsius revelationis assensu appreciativè certissimo, voluntate efficaciter applicante intellectum ad talem assensum.

Prima certitudo fundatur in evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, quam habet rusticus de existentia revelationis per auctoritatem parochi; unde est solum certitudo imperfecta & relativa. Secunda certitudo præsupponit quidem evidentiam credibilitatis imperfectam & relativam, & certitudinem moralem in ea fundatam, ideòque ei commensuratam, ac proinde non nisi imperfectam & relativam: at in neutra fundatur, sed fundatur in ipsa revelatione, quæ hoc ipso, quod est evidens rustico evidentia captui ejus proportionata, potest à rustico credi assensu super omnia certo; quia tunc voluntas potest prudenter imperare intellectui ut credat revelationem assensu super omnia firmo.

Hæc igitur secunda certitudo ad hoc requisita, ut fide divina credatur mysterium revelatum, & divina est, quia fundatur in excellentia divinæ revelationis, & summa est, quia voluntas à Spiritu S. specialiter excitata & corroborata, efficaciter applicat intelle-

ctum divina gratia adjurum, ad assentiendum existentie revelationis assensu super omnia certo.

Dices 3. Si vera revelatio potest fieri evidenter credibilis rustico per auctoritatem parochi, potest per eandem auctoritatem fieri illi evidenter credibilis falsa revelatio, Absurdum conf. nam evidentia credibilitatis non potest cadere in falsum, Ergo, &c. *R. neg. min.* *Ad prob. Resp. dist.* Evidentia credibilitatis absoluta & perfecta, quæ sufficit respectu omnium, etiam doctorum, & qualem habent mysteria religionis nostræ à motivis, de quibus infra, non potest cadere in falsum, C. Evidentia credibilitatis imperfecta, & relativa, & qualis sufficit respectu rusticorum tantum, non potest cadere in falsum, Neg. & in hoc non est ullum inconveniens.

At inquires. Si falsa revelatio potest fieri evidenter credibilis rustico, poterit rusticus credere fide divina falsam revelationem. *Resp. neg.* Nam actus fidei divinæ habet essentialiter veram revelationem pro objecto formali.

At inquires. Saltem poterit credere falsam revelationem assensu super omnia firmo, & quidem propter auctoritatem divinam. *Resp. neg.* Nam non habebit adiutorium gratiæ sine quo voluntas non potest imperare ob reverentiam auctoritatis divinæ, assensum super omnia firmum.

At inquires. Actus, quo assentitur falsæ revelationi, erit ab habitu infuso fidei divinæ. *Resp. neg.* Quia habitus fidei infusus (idem dic de omnibus aliis virtutibus infusis) nunquam agit, nisi ex prævia motione speciali Spiritus Sancti. At Spiritus S. non potest specialiter movere ad actum falsum, si- cut nec potest specialiter movere ad actum sive formaliter sive etiam materialiter tantum malum.

Dices 4. Si vera revelatio sit evidenter credibilis rustico per auctoritatem parochi, poterit è contra fieri illi incredibilis, & revelatio falsa opposita fieri illi credibilis per auctoritatem apud illum notabiliter præponderantem, puta per auctoritatem episcopi affirmantis parochum errare, & contrarium à Deo revelatum esse. Absurdum conf. alioqui poterit rusticus actum fidei divinæ prius elicitum propter veram revelationem credibiliter propositam per auctoritatem parochi, poterit, inquam, prudenter, imò & meritorie retractare. Ergo, &c.

Resp. neg. min. *Ad prob. Resp.* Quod rusticus in casu proposito actum fidei divinæ prius elicitum poterit prudenter prudentia erronea, & consequenter inculpate revocare: at nego quod poterit meritorie: nam actus quo revocabit, erit materialiter malus: actus autem etiam materialiter tantum malus, non potest esse meritorius. Et verò omnis actus meritorius elicitur ex speciali instinctu Spiritus Sancti: at actus materialiter malus non potest esse ex speciali instinctu Spiritus Sancti. Ergo, &c.

At inquires. Actus fidei divinæ semel conceptus, nunquam potest prudenter revocari. *Resp. dist.* Nunquam potest prudenter revocari, si fuerit conceptus ex revelatione evidenter credibili evidentia absoluta & perfecta, C. quò pertinet illud Apostoli ad Gal. cap. 1. Licet nos, vel Angelus evangelizet vobis, præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit. Si tuerit conceptus ex revelatione evidenter credibili evidentia imperfecta & relativa tantum, subdist. Non potest prudenter revocari per se, & ratione objecti formalis, C. iterum, Nam actus fidei divinæ est essentialiter verus, niciturque motivo absolute infallibili, & absoluta infallibilitate connexo cum veritate objecti materialis. Non potest prudenter revocari per accidens, & ratione subiecti, cui ad credendum fide divina sufficere potest evidentia credibilitatis, quæ, quia valde imperfecta est, elidi, imò & superari potest per aliam evidentiam cadentem in revelationem existimatam oppositam, N.

ARTICULUS VII.

Utrum revelatio privata sufficiat ad objectum formale fidei divinae, & an publica, ut sit objectum formale fidei divinae, debeat proponi ab Ecclesia.

Nota. Revelatio distingui potest duplex, publica & privata. Revelatio publica est ea, quae Prophetis & Apostolis facta est pro tota Ecclesia, & postea per universum orbem divulgata est. Revelatio privata est ea, quae alicui vel aliquibus fit, non pro tota Ecclesia, sed pro ipsis solis. Itaque quoties Deus aliquid alicui revelat sine ordine ad Ecclesiam, cui Deus per eam, cui loquitur, velut per internuncium & legatum, vult tradi revelationem suam, est revelatio privata, ut cum Deus alicui Sancto revelat ipsum esse de numero praedestinatorum. Quod si Deus aliquid alicui revelat ex intentione, ut revelatio Ecclesiae tradatur per eum cui fit, hoc ipso est publica revelatio.

Ex his autem patet revelationem privatam non esse confundendam cum spiritu privato haereticorum, quem haeretici velut supremum iudicem controversiarum agnoscunt, nihilque aliud est, quam proprius cuiusque sensus, quo proprio iudicio pertinaciter adheret, aliorumque sententiam damnat: cum è contra revelatio privata sit vera revelatio facta à Deo credibiliter sine ordine ad Ecclesiam.

RESPONSIO I.

Ad objectum formale fidei divinae sufficit revelatio privata, facta credibiliter.

Prob. Nam fides divina est actus, quo intellectus ex imperio voluntatis assentitur assensu super omnia certo veritati revelatae propter primam veritatem revelantem. Sed voluntas potest imperare intellectui, ut assentiat assensu super omnia certo veritati revelatae propter primam veritatem revelantem, etiam cum privatim revelat, modo sit evidenter credibile quod revelet: nam prima veritas revelans tam digna est assensu super omnia firmo, cum privatim revelat, quam cum revelat publice, modo revelet credibiliter. Ergo, &c.

Confirm. Quia revelatio privata tam sufficit ad objectum formale fidei divinae, quam revelatio publica: nam revelatio publica non est objectum formale fidei divinae, quia revelatio publica, sed quia revelatio divina, credibiliter proposita; & quod revelatio sit publica, est aliquid planè impertinens ad objectum formale fidei divinae, petiti ab intentione Dei volentis, ut revelatio, quae fit immediatè Prophetæ vel Apostolo, per eum velut internuncium tradatur Ecclesiae.

RESPONSIO II.

Ad objectum formale fidei divinae non requiritur absolutè, ut revelatio publica proponatur ab Ecclesia.

Prob. Nam ad objectum formale fidei divinae sufficit, quod Deus revelarit, & sit credibile quod revelarit. Atqui sine propositione & autoritate Ecclesiae potest revelare, & revelationem suam reddere evidenter credibilem per miracula, & alia signa ad id adhibita, ut manifestum est. Ergo, &c.

Confirm. Nam primi parentes, Abraham, Moyses, & multi alii crediderunt fide divina sine propositione & autoritate Ecclesiae. Item sine propositione Ecclesiae creditur fide divina Evangelio Apostoli, ut ipse testatur in epist. ad Galatas, cap. I. ubi ait, se non accepisse Evangelium ab homine, neque didicisse, sed accepisse per revelationem Jesu Christi. Item fide divina credimus ipsam Ecclesiam propter revelationem, nobis evidenter credibilem per motiva credibilitatis, distincta ab autoritate ipsius Ecclesiae. Ergo, &c.

Obj. 1. illud Apostoli Rom. cap. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem au-*

dient sine praedicante? Quomodo autem praedicabunt, nisi mittantur? (ab Ecclesia scilicet, & legitimis ejus pastoribus?) *R.* Apostolum velle tantum, quòd ad credendum mysteria fidei nostrae, praedicatio ordinariè necessaria sit, quòd nemo sibi possit assumere munus & autoritatem praedicandi. Quocum tamen manet mysteria fidei nostrae credi posse sine propositione & autoritate Ecclesiae. Nam 1. Deus potest sine ministerio pastorum Ecclesiae, per se vel per Angelum instruere de rebus fidei ad salutem pertinentibus, instruere, inquam, hominem, quantum oportet ut credat. 2. Quamvis nemo autoritate privata possit sibi assumere munus praedicandi, & ad hoc opus sit missione vel ordinaria, accepta ab Ecclesia, vel extraordinaria, à Deo accepta immediatè, signis divinis confirmata, & approbata ab Ecclesia; potest nihilominus quilibet Christianus, licet nec à Deo nec ab Ecclesia ad hoc deputatus, potest, inquam, fidem suam ubique profiteri, & infidelibus privatim exponere, atque miraculis, Deo ipsi cooperante, evidenter credibilem reddere. Et verò hoc pacto multos infideles ad fidem convertos esse per servos & ancillas docent historiae Ecclesiasticae.

Obj. 2. Praedicatores fidei non possunt sine autoritate Ecclesiae reddere sufficienter credibiles revelationes divinas. Ergo autoritas Ecclesiae necessaria est ad credendum fide divina. *R.* Praedicatores fidei non possunt communitè sine autoritate Ecclesiae reddere sufficienter credibiles revelationes divinas, quia cum communitè careant virtute patrandi miracula, aliave signa exhibendi, ex quibus sufficienter appareat ea, quae annunciant, esse à Deo revelata, ordinariè non habent à se sufficientem credibilitatem, & ita ordinariè tenentur illam aliunde accersere: quod faciunt probando se verè Ecclesiae adherere, & se nomine ejus loqui, & doctrinam ejus exponere.

Obj. 3. Testimonium Ecclesiae est medium ordinarium, necessarium ad majorem declarationem veritatum, quae in Scripturis & traditionibus confusè tantum revelatae sunt, itemque ad decidenda dubia, quae in materia fidei oriuntur. Ergo, &c. *R.* ita esse. At 1. post majorem veritatum confusè revelatarum declarationem, factam per Ecclesiam, postea aliquis, nulla facta mentione Ecclesiae, veritates illas proponere, & propositionem suam evidenter credibilem reddere, si haberet donum miraculorum. 2. Ut credantur fide divina veritates, quae in Scripturis clarè revelantur, sufficit sine ullo interventu Ecclesiae illarum annunciatio, facta credibilis per miracula, aliave argumenta.

Obj. 4. Secundum legem Dei ordinariam non creditur sine medio illo, quod Christus instituit, ut fidei dogmata propagantur. Atqui tale medium, & quidem unicum, est propositio veritatum revelatarum, facta ex autoritate Ecclesiae. Ergo, &c. *R.* neg. propositionem veritatum revelatarum factam ex autoritate Ecclesiae, esse unicum medium à Christo institutum ad propaganda fidei dogmata: cum aliter quam per autoritatem Ecclesiae possint annunciari, & interdum aliter annunciata fuerint cum sufficienti credibilitate ad credendum fide divina, ut jam notatum est.

Obj. 5. S. Augustinus, lib. contra epist. fundamenti cap. 5. sic ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret autoritas; quae sublata, nec jam Evangelio credere potero.* *R.* S. Doctorem verbis illis nihil aliud significare velle, quam sine testimonio Ecclesiae se non habere sufficientem credibilitatem, quòd Evangelium constans tot libris, capitulis, versiculis, &c. sit verè divinum, & ex omni parte canonicum. Quod rectè dictum esse à Sancto Doctore agnoscimus: nam quòd Evangelium (idem dic de reliqua Scriptura sacra) in omnibus suis partibus sit verè divinum & canonicum, ordinariè non constat sufficienter, nisi per Ecclesiae testimonium: quamvis hoc ipsum, sicut & aliae veritates revelatae, per aliam viam possit fieri evidenter credibile; ut si quis ad probandum quòd Evangelium sit

sit in omnibus suis partibus canonicum & divinum, pararet aliquod miraculum.

Obj. 6. Omnis assensus fidei divinæ resolvitur essentialiter in propositionem & auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in partem objecti formalis. Ergo nullus assensus fidei divinæ potest esse sine propositione Ecclesiæ. *R. neg. ant.* Nam assensus fidei divinæ essentialiter resolvitur in primam veritatem revelantem, tanquam in objectum formale adæquatum. Prima autem veritas revelans, quæ talis, potest sine auctoritate Ecclesiæ sufficienter proponi ad credendum, & quandoque proposita est.

DISPUTATIO II.

De objecto materiali fidei divinæ.

ARTICULUS I.

Utrum objectum materiale fidei divinæ sit necessarium verum.

Nota. Objectum materiale fidei divinæ adæquate sumptum, consistit in collectione omnium veritatum revelatarum à Deo. Dividitur, vel totum in partes, in objectum attributionis, & attributum. Objectum attributionis est illud, ad quod cætera revelata referuntur, & est Deus cum sui perfectionibus: nam reliqua omnia idem revelata sunt, & per fidem creduntur, ut Deus ejusque perfectiones melius cognoscantur. Unde reliqua omnia revelata dicuntur & sunt objectum attributum fidei.

Item objectum materiale fidei dividitur, vel totum in partes, in veritates primarias, & secundarias. Veritates primariæ sunt illæ, quarum fides ad salutem necessaria est, & vocantur Articuli fidei; quorum præcipui in Symbolo Apostolorum continentur. Veritates secundariæ sunt illæ, quas ad salutem consequendam necesse non est credere, sed factis est, si non discredantur, aut in dubium revocentur: neque idcirco dici possunt inutiliter revelata, quia suo modo conducere possunt ad manifestandas perfectiones divinas, puta ut partes integrales historiae declarantis providentiam, & bonitatem, vel aliam aliquam perfectionem divinam.

Nota iterum. Inter veritates revelatas aliæ sunt per se absolute necessariae, ut quod Deus sit unus in essentia, & triplex in personis; quod sit omnipotens, æternus, &c. Aliæ verò sunt secundum se omnimò contingentes, ut quæ revelata sunt de incarnatione, de vita & miraculis Christi, &c. Unde sumitur occasio quaerendi utrum res à Deo revelatae, saltem prout subsunt divinæ revelationi, ita sint necessariò veræ, ut qui credit rem revelatam propter revelationem divinam, nec fallatur, nec falli possit unquam.

RESPONSIO.

Res à Deo revelatae, quatenus subsunt divinæ revelationi, sunt infallibiliter veræ infallibilitate absoluta.

Prob. Absolute impossibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Si possibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis, possibile est Deum revelare falsum. Atqui absolute impossibile est Deum revelare falsum. Ergo, &c. *Prob. min.* Si possibile est Deum revelare falsum, vel quia potest judicare de rebus aliter quàm sunt, & ita falli circa id quod revelat; vel quia potest loqui de rebus contra iudicium suum, & ita fallere circa id quod revelat. Neque dici potest. Non primum, nam alioqui Deus non erit infinite sapiens. Non etiam secundum, nam alioqui Deus non habebit summam veracitatem, nec summam auctoritatem in dicendo, & ita non erit ens, quo nihil melius cogitari potest.

Confirm. utraque pars. Quia esse infinite sapientem, esse summè veracem, habere summam in dicendo

auctoritatem, sunt perfectiones simpliciter simplices, proindeque clarè continentur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, clarè continentur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, essentialiter convenit Deo. Unde non minus verè quàm eleganter dicit Augustinus lib. 1. de Symbolo c. 1. *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod Apostolus ait, negare se ipsum non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est: Et ideo est omnipotens, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, si inique agere non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.*

Obj. 1. Multa Scripturæ loca sunt contradictoria. Ergo & falsa ex aliqua parte: nam ex duobus contradictoriis unum est verum, & alterum falsum. *Nego ant. Probabis.* Genes. cap. 4. v. 9. dicitur: *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Et v. 12. *Omnis caro corruperat viam suam super terram.* Item Genes. cap. 1. scribitur Deum creasse mundum sex diebus: Ecclesiastici verò cap. 18. creasse omnia simul. Item Genes. cap. 32. *Jacob ait, Vidi Dominum facie ad faciem.* Et Exodi cap. 20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & vivet.* Item Ezech. cap. 18. legitur: *Filius non portabit iniquitatem patris:* Et Exodi cap. 20. Deus ait se visitare iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. Item Job cap. 1. confitetur se peccasse: *Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?* Et cap. 27. contrarium affirmat. *Neque, inquit reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Paulus Rom. cap. 3. sic habet: *Arbitramur justificari hominem sine operibus legis: & Jacobus epist. suæ cap. 2. Videtis quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.*

R. ad 1. Cùm dicitur, *Omnis caro corruperat viam suam;* tò, omnis summi in suppositione restricta. Pro quo nota, Deum in Scripturis non semper uti propositionibus universalibus in rigore metaphysico, sed interdum uti in sensu morali, in quo parum pro nihilo reputatur, & dicitur omne aut totum id quod ferè totum est. *R. ad 2.* sensum Ecclesiastici esse Deum esse æquè omnium rerum creatorem, quamvis non eodem tempore, sed successivè creaverit. *R. ad 3.* Jacob loqui de visione Dei sub specie æterna & sensibili, Deum verò de visione essentiali suæ in se ipsa. *R. ad 4.* Deum in primo loco loqui de pœna spiritali, & in secundo de pœna temporali. *R. 5.* in primo loco agi de peccatis levibus, & in secundo de gravibus. *R. ad 6.* Paulum loqui de operibus merè naturalibus, Jacobum verò de operibus factis ex fide & gratia Christi.

Obj. 2. Habentur in Scripturis variæ prædictiones & promissiones, quæ non fuerunt impletæ. Item Genes. cap. 4. Deus affirmavit Caino eum non esse occidendum, & tamen à Lamech occisus est. Item Joan. c. 7. v. 8. Christus asserit se non ascensurum esse ad diem festum, & tamen ascendit, ut constat ex eod. c. v. 10.

R. ad 1. prædictiones & promissiones illas fuisse conditionatas; unde mirum non est, quod conditiones non purificata, non fuerint impletæ.

Nota obiter, promissiones, sicut & comminationes divinas, sæpè specietenus absolutas esse, in eis que subintelligendam conditionem aliquam, vel exceptionem. Non tamen ad quemlibet pertinet ejusmodi conditiones vel exceptiones promissionibus aut comminationibus divinis apponere; sed ut asserantur, debent constare vel ex ipsa Scriptura, vel ex Traditione, vel ex authentica Ecclesiæ declaratione, vel ex ipsa evidentiâ propositionis, qua promissio vel comminatio continetur, vel denique ex gravi aliqua & evidenti ratione, abique ullo inconvenienti.

R. ad 2. Deum non respondisse Caino eum non esse occidendum, sed eum non esse occidendum impune, ut patet ex ipso textu: nam Caino dicenti;

Om-